

SUMMA DOCTRINÆ LIBRI CUI TITULUS: EXPLICATION DES MAXIMES DES SAINTS, &C. DEQUE…

Jacques Bénigne Bossuet




1051-3


1051
3

SUMMA DOCTRINÆ

LIBRI CUI TITULUS:
EXPLICATION DES MAXIMES DES SAINTS, &c.
deque consequentibus, ac defensionibus, & explicationibus.

Auctore JACOBO BENIGNO BOSSUET *Episcopo Meldensi.*



PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON Typographiæ Regiæ Præfectum, viâ Cytharæâ, sub Lilio Florentino.

M DC XCVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



SUMMA DOCTRINÆ

LIBRI CUI TITULUS:

EXPLICATION DES MAXIMES DES SAINTS, &c.

deque consequentibus, ac defensionibus, & explicationibus.

POSTEAQUAM ab Illustrissimo ac Reverendissimo Antistite semel atque iterum in testimonium vocati, ac velut fidejussores dati, nostram de ejus libro sententiam, quâ simplicitate ac brevitate par erat, Sedi Apostolicæ necessariò promsimus, hæc agenda restant: primùm, ut summâ doctrinæ propositâ, de consequentibus quædam à nobis delibata tantum, exponam fusius: tum, ut de- 1 Causa & partitio hujus scripti.

fensiones sive explicationes, quibus idem antistes utitur, proferam, nullâ acerbitate, nullo offensæ studio, quorum causas procul habeo.

Quamquam enim antistes colendissimus: (quod ego nec tacere, nec nisi summo dolore commemorare possum:) in eo reposuit vel maximam defensionis partem, ut me adversarium, me in hac causâ actorem prædicaret: testis est Deus, me nihil aliud toto vitæ tempore esse conatum, quàm assiduè, quoad fieri potuit, certare benefactis, benevolentiam provocare, gratiam promereri, nullâ vel in speciem, nisi ex infelici libello, simultatis causâ.

Qui liber statim atque est editus, quos concitarit motus, referre nihil attinet. quæ autem turbarum causa fuerit, summa doctrinæ prodet, quæ his fere capitibus continetur.

II. Prima pars scripti: summa doctrinæ illust. auctoris. Libri enim auctor, ad devovendam ultrò salutem æternam perfectas quas vocat animas adducturus, his velut gradibus ad ima & extrema devolvitur.

Explic des maximes, &c. p. 10 37. 135. &c. 1. Meritum, perfectionem, salutem, seu felicitatem æternam, esse illud commodum, illud mercenarium, quod purus amor excludat, nec pro motivo sive incitamento colendi & amandi Dei habeat.

p. 55. 226. 2. Itaque desiderium salutis esse bonum; nec tamen desiderari oportere quidquam, præter Dei voluntatem.

3. Ad cætera, & ad salutem ipsam, eoque conducentia, admitti indifferentiam: quæ omnia, subscribente illustrissimo auctore, erronea, imò etiam hæretica judicentur. p. 49. 50. &c. 54. art. 8. & 11.

4. Sanctâ indifferentiâ admitti generalia desideria omnium latentium voluntatum Dei. p. 61.

5. His aperitur via ad devovendam absoluto sacrificio, simplicique consensu, permittente etiam directore, salutem æternam, ita ut suæ justæ condemnationi ac reprobationi, ex involuntariâ & invictissimâ desperatione, sancta etiam anima simpliciter acquiescat. 87. 89. 90. p. 91.

6. In hoc statu se esse perfectas animas, quales erat sanctus Franciscus Salesius, habere persuasum: adeoque eas esse desperatas, ut omnis ratio expediendæ salutis, imò etiam prædicatio dogmatis fidei, ac divinæ bonitatis in omnes effusæ, sit inutilis. p. 88. 89. 90.

7. Tunc fieri separationem animæ a se ipsâ, in quâ, cum spe perfectâ, desperatio plena & tota consistat. p. 90. 91. &c.

8. Eo statu, animas etiam desperatas, cum Christo expirare in cruce, & cum eodem dicere, Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? p. 90.

9. Hinc admitti in Christo perturbationes involuntarias, quas pars inferior superiori non communicet. p. 122. &c.

10. Salutem autem omnem ita esse Deo per- p. 87. &c.

mittendam, ut omnis perfectio in quâdam divini auxilii expectatione ponatur: nullâ proprii conatûs, propriique laboris & industriæ habitâ ratione: imo piis conatibus ad quemdam semipelagianismum relegatis.

p. 186. 187. 189. &c. 11. Perfectam animam in contemplatione divinâ, voluntariè quidem, non nisi in abstractissimâ & illimitatissimâ entis ratione versari: ad cætera, hoc est ad attributa divina, absoluta & relativa, atque ad Christi mysteria contemplanda, non ultrò prosilire, nec nisi instinctu Dei moventis impelli: quo etiam fiat, ut duobus in statibus animæ perfectiores Christo distinctè viso ac per fidem præsente priventur.

p. 222. p. 224. p. 225. p. 228. 12. His etiam fieri, ut singulis virtutibus sua incitamenta tollantur: neque ullum, nisi unum motivum puri amoris relinquatur: neque ulla virtus expetatur ut est virtus; & ut praxis, usus-que virtutum, à perfectorum statu arceatur.

p. 17. 20 &c 13. Huc accedunt alia: nempe quod amor impius ac sacrilegus, qualis est amor puræ concupiscentiæ, inter ea collocetur, quæ ad justitiam præparent.

p. 7. 8. 14. Quod amor spei non proveniens a caritate, secundum sanctum Augustinum, ad vitiosam pertineat cupiditatem.

p. 9. 15. 15. Denique, quod amor justificans, ac divinæ gloriæ postpositis omnibus adhærescens,

sit tamen mercenarius, si felicitatis æternæ etiam subordinatâ ac minus præcipuâ ducatur illecebrâ; quæ, aliaque permulta per totum librum fusa, eum inemendabilem & inexcusabilem efficiunt.

Caput autem omnis mali est: (quod adversus amicissimum dicere, veritas ac necessitas & salus Ecclesiæ postulat:) virum subtilissimum, *Avert. p. 18.* dum se a mysticis intelligi, & plenisque eorum diligentius de re spirituali ac vitâ interiore dicere gloriatur, in bos gravissimos ac nonnullos errores impegisse, neque ab iis ullâ se ratione dimoveri passum, magno nostro & collegarum amicorumque luctu.

Accessit ad cumulum, quod de oratione *p. 203. 204.* quietis dicere aggressus, negare non potuit, quin ad eam paucissimis tantum aditus & vocatio pateret, reliquis etiam sanctissimis manere inaccessa, quod vitæ spiritualis auctores uno ore confirmant: hæc, inquam, certissima & evidentissima negare non potuit. *Avert. p. 3. 4. in lib. p. 261.* *in lib. p. 34. 35.* Cæterum nescio quo pacto non vidit, quæ hinc essent consectanea: quippe qui eam orationem in purissimo ac sanctissimo perfectissimoque amore collocaret; unde conjectus est in eas angustias, *Avert. p. 16. 23.* ut fateri cogeretur, non christianos omnes, non etiam sanctissimos, vocari ad christianam perfectionem, quæ in amando consistat: magnâ christiani nominis, christianæ vocationis, & Evangelii contumeliâ. *in lib. p. 34. 35. 64. 261. 271. 272. &c.*

Hæc igitur viri illustrissimi summa doctrinæ est: quæ quàm consentiat Molinosi propositionibus à Sede Apostolicâ condemnatis, præsertim vero 7, 12 31. 35. aliisque dogmatibus, quæ in eodem Molinoso & asseclis meritò reprehenduntur, hîc conticescimus; cùm id, & res ipsa testetur, & ex nostro tractatu de Statibus orationis facilè appareat.

III. Secunda pars scripti, de consequentibus: ac primùm de vitiosis actibus unà cum virtute conjunctis.

Jam ergo de consequentibus pauca dicamus. neque enim hunc librum eo dumtaxat nomine exitiosum putamus, quòd catholicæ fidei adversa doceat, sed eo vel maximè, quòd ad pejora quoque, ipsique auctori improbata, deducat incautos.

Sup. n. 2. prop. 7.

Tale profectò istud est: animam per actus directos & reflexos ita in duas partes esse separatam, ut consistant in eâ simul & in actu directo perfecta spes, & in reflexo plena desperatio, ut est supra positum, quo ritu modoque, & cum perfectâ fide, plenus perfectusque consensus in infidelitatem constet, ac tentatio in actu reflexo victrix non excludat vitium illud ad quod animum impellit: quod cùm ad omne flagitii genus pateat, cum omnibus vitiis conjunctæ virtutes oppositæ permanebunt: unde existent illa probrosa, quæ in Molinoso cum totâ Ecclesiâ noster detestatur quidem; vi tamen decretorum suorum, certæque & perspicuæ consecutionis, inducit.

Hoc

IV. De consensu in odium Dei, aliisque damnationis effectis. *Ifslex.* 5. *p.* 91. 92.

Hoc igitur est, quod Propheta dicebat: *ova aspidum ruperunt, & quod confotum est, erumpit in regulum:* noster quidem horruit consecutiones eas, quæ ex consensu simplici in damnationem oriuntur: nempe, ut non modò à Dei amore cessetur, sed etiam ut odio sit Deus: at interim ista ex ipso principio consequuntur. qui enim consentiunt in reprobationem justam, cùm id præpostero divinæ justitiæ studio faciant, eamdem consectentur necesse est, ut in se vivit vigetque; non ut eam animo fingunt & informant. Ut autem in se est, omnia à damnatis aufert, quibus ament Deum: eosque ita permittit sibi, ut odio habeant ejus perfectionem, bonitatemque summam, quod vel est acerbissimum divinæ justitiæ impios persequentis effectum; quæ quantumlibet nostri horreant, tamen prohibere non possunt, quominus dent locum secuturis; quæque horrent vel maximè, ipsâ consecutione pariant. Sic ergo, dum Molinosismi semina ac principia fovent, incauti & nescii, non nisi venena pestesque excludunt.

V. De Fanatismo. *p.* 35.

Hinc etiam periculosissimo fanatismo locus. cùm enim directorum officium eo contineri coercerique doceatur: *ut Deum agere sinant, neque umquam de puro amore differant, nisi præeunte Deo & cor aperiente per interiorem unctionem:* hinc profectò fit, ut ad illum amorem, quo chri-

ſtianæ vitæ perfectio conſtat, non pertineat il-
Rom. X. 14. 17. lud : *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti :* nec illud : *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* ex quo conſequitur, ut non Dei verbo ſe regi, ſed inſtinctu agi putent, ſeque ſuo ſpiritu perfectiſſimos cogitent, aut directorem ſequantur eum, quem pari impetu rapi & inſtigati credant; qui merus putuſque fanatiſmus eſt, Molinoſo ejuſque aſſeclis meritò imputatus : & à
p. 88. noſtro quidem auctore improbatus; ſed interim per neceſſariam conſecutionem invectus.

ſup. n. 2. Eodem pertinent ſuprà memorata, de objectis præter abſtractiſſimam rationem entis, peculiari inſtinctu nec voluntariè in animum inferendis : quo fit, ut ad pleraque objecta, non voluntariâ electione, ſed impetu moveantur.

ibid. Item huc ſpectant alia quoque ſuprà memorata, de excludendis actibus propriæ induſtriæ, propriique conatus : qui ſanè actus in au-
p. 95. 97 &c. ctoris articulo XI. tot difficultatibus impediti intricatique prodeunt, nihil ut ſit propius,
p. 99. &c. quàm ut illi qui perfecti videri volunt, curam omnem ſui abjiciant, ſeque inſtinctu agi ſinant : vanaque eſt exceptio de præcepti caſu, qui in præceptis affirmativis eſt rariſſimus, ac vix um-
ibidem. quam ad certa momenta revocandus : quo fit, ut animæ in aliis quibuſque momentis, non

se ratione aut prudentiâ, sed impetu rapi putent ac velint.

Quod etiam protenditur ad reflexos actus, quæ pars est vel maxima, eaque liberrima christianæ vitæ : ad quos actus scilicet anima per sese indifferens habeatur, & extra præcepti casum, qui uti prædictum est sit infrequentissimus, ad se ipsam in se suaque cogitata reflectendam, solo gratiæ attractu impellatur, nullo ferè relicto proprii consilii, propriique conatûs, & excitatæ propriæ voluntatis officio : sed cohibitis reflexis actibus, & à divini instinctûs expectatione suspensis : quibus omnibus imbecilles animæ, delusæ scilicet vanæ perfectionis imagine, suos motus & instinctus Deo impulsori imputare, ejusque impulsum expectare assuescant. p. 117 118.

VI. Dealus consecutionibus

Jam illud quàm noxium, assuescere animas, ut Ecclesiam ad cœli gaudia & sponsi amplexus assiduè suspirantem, putent mercenariam : Paulum mercenarium, Christum lucrifacere cupientem, & huic lucro inhiantem : martyres mercenarios, qui cum eodem Paulo jam delibari, ac tempore resolutionis instante, in mercede cogitandâ & quærendâ toti sint : mercenarium etiam illud Ignatii, provocatur feras ac dicentis, quid mihi prosit intelligo ; quo utilitas illa possidendi Christi maximè commendatur : mercenarios denique omnes, qui mo-

Philipp. I. 21. 22 23. 2. Tim. IV. 6. 7 8.

rientes illud exclament: *In manus tuas, Domine*: & illud: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*: & illud: *me expectant justi, donec retribuas mihi*: & alia ejusmodi, non nisi à puro castoque amore dictata. Quæ si animo vilescant, si præter unam entis illimitatam abstractissimamque rationem, nihil est in Deo vel Christo quod sapiat, denique si Christus ipse fastidio est: quid superest, nisi ut, reluctante licet auctore, tamen ex consequentibus, quidam (quod absit) deismus inolescat, & christiana pietas extinguatur, aut in vaniloquiis & argutiis collocetur? ut non frustrà adversus nova ista commenta boni omnes, ipsaque Ecclesia Romana mater Ecclesiarum insurgat, ac de summâ fidei ac religionis agi credat.

VII. Tertia scripti pars de defensionibus, & explicationibus; ac primùm de defensionibus. *Lettre du 3. Aoust.*

Jam defensionem illam aggrediar, quam auctor spargit in vulgus. Currunt enim per ora & manus, ejus epistolæ, ac præsertim illa quæ ad amicum scripta perhibetur, cujus quidem summa est: omnem doctrinam suam duobus contineri: primum, ut concedatur caritatem esse amorem Dei in se, à beatitudinis studio absolutam: alterum, ut item concedatur, in perfectis animabus plerumque caritate præveniri, & incitari virtutes omnes, maximè verò spem; quæ ab eâ imperata, haud magis mercenaria quàm ipsa sit caritas. Quâ in re id statim animadvertimus, auctorem nimis favere sibi;

quòd tot ac tantis erroribus implicitus, ad duo tantum capita quæstionem redigat; reliqua haud minus gravia prætermittat. Et tamen ad cumulum, ex his ductam defensionem, ut falsissimam, ita vanissimam esse paucis conficimus.

VIII. Prima pars defensionis, de caritate non mercenariâ, atque à beatitudinis studio absolutâ.

Nam quod attinet ad caritatis definitionem illam, quam schola communiter tradit, planè confitemur ejusmodi esse, ut Deum in seipso spectet & diligat amore absoluto ac libero ab omni respectu ad nos, adeoque à studio ipsius beatitudinis: quo fit, ut eadem schola spem quidem ex se mercenariam esse decernat, ut quæ mercedi studeat; caritatem verò haud mercenariam esse definiat, ab illo quippe studio liberam, & unâ Dei perfectione flagrantem: quod nemo condemnare possit, cùm sit à totâ ferè scholâ, ac maximè Scoti, Scotistarumque traditum. His igitur confisus auctor, notari & accusari se deplorat pro eâ sententiâ, quam cum totâ ferè scholâ communem habeat: sed palàm illudit theologis.

Primum enim, eam quâ se tuetur definitionem caritatis, ad quæstionem nostram minimè attinere certum. Quid enim est illud, quod hîc theologi definire satagunt? profectò nihil aliud, quàm illam communem justis sanctisque omnibus caritatem: at de illâ nihil nunc quæritur: omninò quæritur de amore illo puro, quo perfectorum statum constitui contendis

auctor: detur ne ille amor, communi quâ justi sumus caritate perfectior, qualem ille fingit, quæritur: quis ille sit quæritur: de illâ caritate communi nihil omninò quæritur. quare, cùm ad communem notionem caritatis provocat, imponit theologis, patronos sibi quærit præter rei veritatem; ejusque defensio, meraludificatio est.

Deinde, id quod ipse assumit ad defensionem, idem ipse labefactat. conqueritur enim, non agnosci à nobis caritatem illam non mer-
p. 14. 15. cenariam, quæ fideles justificet. At contrà is ipse est, qui justificantem illam caritatem toto passim libro vocet mercenariam: amorem verò purum seu non mercenarium altiore reponat loco, & perfectissimis tantum attribuat; quo fit, ut in id quoque, quo se tutum velit, non nos utique; sed ipse, ipse, inquam, impingat: usque adeo vana ac ludificatoria ejus defensio est.

Denique, nequidem intelligit definitionem illam, quâ vel maximè nititur. Sic enim tradunt theologi, caritatem uni Deo in se spectato esse dedītam, *nullo respectu ad nos*; ut id ad specificum, quod aiunt, objectum unicè referri velint: non interim negent, imò uno ore fateantur omnes, divina beneficia quæ nos respiciant, ad illam excellentiam infinitam magis magisque diligendam, secundaria quidem, sed tamen

maxima incentiva, & amandi fomitem inextinctum ministrare : ut, scholasticè quidem & speculativè, caritati sufficiat Deus in se excellens & optimus; quod est objectum specificum, sine quo ipsa caritas stare non possit : cæterùm ipso usu, & in praxi, ut aiunt, valeat illa complexio, quâ Deum totum, si ita loqui fas est, & ut est in se optimus, & ut ex illâ quoque bonitatis plenitudine erga nos beneficentissimus, consectati, in eum colliquescimus, ipsi adhæremus; ipsi conglutinamur, nec ab illo tam perfectæ quàm profluæ bonitatis fonte, divelli nos patimur. Quo fit, ut istud, *nullo respectu ad nos*, in scholæ definitione positum, abstractivè quidem, non autem exclusivè intelligi debeat : nec omitti oporteat etiam à perfectis, suo tempore & loco, ad inflammandum amorem, effusissima illa beneficentia Dei, quæ cum divino bono bona nostra omnia complectatur.

Absit autem à nobis, ut scholæ christianæ in eam abeant sententiam, quæ ab incentivo caritatis prohibeat istud, in ipso capite præcepti caritatis tam disertè positum, maximo respectu ad nos : *Diliges Dominum Deum tuum* · & illud *Deuter. vi. 5. 18.* præparatorium : *ut benè sit tibi* · & istud consectaneum : *& tamen patribus tuis conglutinatus est* *Ibid. x. 15. xi. 1.* *Dominus... ama ergo Dominum Deum tuum.* Absit, ut Redemtor Christus, quod esset im-

pium, à christianæ caritatis ratione arceatur: aut ad illam inflammandam vacare credatur istud: *sic Deus dilexit mundum*: & istud: *nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*: & istud: *cui minus dimittitur, minus diligit*: incentivo amoris, quo justificata peccatrix est, cum ipsâ beneficentiâ clarè distinctèque conjuncto. Absit, ut sponsa, tota in amplexus ruens, & Christi sitiens, ideo minus casto amore fungatur, atque inter mercenarios ablegetur: quæ absurda & infanda, si quis in veram genuinamque pietatem induxerit, non tantum scripturarum imperitus, sed etiam ingratus, excors, humanitatis expers, ipsiusque amoris nescius habeatur.

Johan. III. 16
1 Johan. IV. 19.
Luc. VII. 47.

Non ita Augustinus, millies ad castum gratuitumque amorem, referens ipsum potiundi Dei desiderium: quos locos si torqueri vanis sinamus argutiis, jam ipsa cum Augustini decretis atque principiis antiqua purissimaque theologia evanescit: evanescit illa distinctio rerum utendarum ac fruendarum, quam ab eodem Augustino promtam Magister & Interpretes, hoc est Scholastici omnes, pro certo fundamento posuêre: ac nequidem valeat illa definitio caritatis, quam idem sanctus Augustinus tradidit, ac sanctus Thomas repetit, *motus animi ad fruendum Deo propter seipsum.*

S. Aug. 3. de Trin. cap. 10.
S. Thom. 2. 2 q. 23. art. 2 sed cont.

Neque par est, ut credamus scholasticam theolo-

theologiam à Patrum theologiâ, hoc est à suis fontibus discrepare: sanctus Thomas totus noster est: sanctus Bonaventura noster: ambo Augustini toti sunt: quin etiam Scotus *Dist. 27. q.* ab iis dissentire visus, summâ ipsâ convenit: *unic. n. 8.* cumque primario caritatis objecto, quæ Dei excellentia est, conjungit *secundarias rationes objectivas, allicientes ad amandum Deum*; quòd amet, quòd redamet, seque amare demonstret, *sive creando, sive reparando, sive disponendo ad beatificandum*: quæ quidem sint in Deo *speciales amabilitas*, atque in unam amandi rationem, cum perfectissimâ & infinitâ ejus bonitate, coalescant. Hunc secuti Suarez, aliique passim omnes, *Suar. de caamorem* erga Deum ut beneficum caritate eli- *rit. disp. 1.* ci confitentur; eo quod beneficum illud, fut- *sect. 2. n. 3.* que diffusivum, & ipse amor divinus, largiendi ac benefaciendi fons, sit quædam excellentia in Deo amorem illiciens ac provocans: ut qui hæc omittat, perfectionis specie, ab omni theologiâ alienum se esse fateatur. Hoc fecit Molinosus: hoc illa apud nos fœmina Quietistarum dux & magistra: quodque est dictu acerbissimum, hoc tantus Archiepiscopus: neque eo magis excusandus, quòd Quietismum illum, absit verbo injuria, eo periculosius, quo speciosius & artificiosius, colorat & pingit.

Hinc facilè secunda defensionis pars corruit. IX. Sic autem se babebat. Plerumque in perfectis *Secunda pars defen-*

sionis: quòd spes à caritate imperata, haud magis quàm caritas sit mercenaria.

caritate præveniri & incitari virtutes omnes, maximè verò spem, quæ ab eâdem scilicet caritate imperata, haud magis quàm caritas sit mercenaria: nullo planè sensu: tamquam æquè ac ipsa caritas, à beatitudinis studio, in quo illud est scholæ mercenarium constitutum, spes secludi possit. Cujus ergo rei erit spes? nullius profectò rei, quando nec ipsius promissæ à Deo beatitudinis.

Addamus & quæstiunculam: cur tanto studio caritas haud mercenaria, mercedis spem imperet? ut Deo pareat? rectè: cur autem jubet Deus, ut à caritate spes ipsa mercedis excitetur, imperetur? nempe ut serviat caritati, ut caritatem inflammet, confirmet, augeat; alioqui vacat illud: *finis præcepti caritas.* Huc ergo spem mercedis ciet caritas, ut instimulante, movente, urgente mercede, caritas invalescat: adeò, quocumque statu, merces illa apta nata est ad fovendam, excitandam, augendam caritatem: apta nata est caritas, ut illâ mercede, quæ Deus est, inardescat.

1. Tim. I. 5.

Sess. VI cap. 16.

Huc etiam pertinet illa sæpè memoranda Concilii Tridentini definitio, de vitâ æternâ omnibus, atque adeò perfectissimis, tamquam mercede proponendâ: en *tamquam mercede;* sub ipsâ ratione mercedis: nec minus manifestum illud ejusdem Concilii, *de socordiâ excitandâ,* ac de justis, imò etiam perfectissimis, Davide,

Ibid. cap. XI.

Mose, cæteris, *intuitu quoque mercedis æternæ, adcurrendum in stadio sese cohortantibus*, quâ definitione constat, nedum intuitu mercedis æternæ decrescat caritas, fiatque imperfectior, aut impurior, contrà perfectiorem, alacriorem, vividioremque fieri.

Quidquod illa, quæ trahitur ad perfectionis statum, spei ac virtutum imperatrix, incitatrixque caritas, etiam in justorum imperfectorum statu ab auctore collocatur? nempe illius hæc sunt de quarto statu, qui est justificantis quidem sed imperfectæ caritatis: ut *gloria Dei præcipuè diligatur, ibique propria beatitudo, non nisi ut medium, ad hunc ultimum finem, hoc est ad Dei gloriam, relatum, eique subordinatum requiratur.* p. 5. Quo loco necesse est, ut objectum caritatis, hoc est Dei gloria, cùm sit finis ultimus; id quod est medium, nempe studium adipiscendæ mercedis, intentione mentis, omninò anteveniat: quo semel posito, nihil quidem ulterius aut sublimius, illi purissimæ, quam jactant, caritati relinquatur: confunduntur que status, & omnia misceantur: usque adeò res eis redit ad argutias, easque inanes, nec sibi cohærentes.

X. Amor purus quis verè sit.

Quanto sanius ac planius amorem castum purumque in eo collocarent, non ut perfectissimi quique salutis ac mercedis æternæ, vetante Concilio Tridentino, intuitum omitterent: absit: sed ut terrena desideria, & alienas à Dei caritate

concupiſcentias, quoad fieri poteſt, ad purum excoquerent: interque hujus mundi proſpera & adverſa: imò verò inter vitæ ſpiritualis tædia atque ſolatia, interque alternantes vices animæ nunc marceſcentis, nunc inardeſcentis, æquo pede incederent: quâ in re vel maximè à viris ſpiritualibus, atque ab ipſo principe Franciſco Saleſio paſſim, puriſſimi amoris conſtitutam rationem legimus.

Jam de omni ſollicitudine projiciendâ in Deum, deque huic connexo actu, quo nos reſque noſtras, ipſamque adeò ſalutem ei commiſſam & permiſſam volumus; quo actu amor perfe-
1 Petr. v. 7. 8. ctus ac purus potiſſimum conſtat: Petrum auctorem habemus: non ſanè ſuadentem, ut ſalutis curam ac ſpem omittamus, aut eam vel maximam utilitatem noſtram parvi faciamus, aut pro indifferenti, quod abſit, habeamus: ſed commitentem, quòd *Deo ſit cura de nobis*: & eo inducentem, non ut adjutorem Deum otioſi ex-
2. Pet. 1. 10. pectemus, ſed ut *ſobrii ſimus atque vigilemus, ſatagamuſque* omninò, *ut per bona opera certam noſtram vocationem & electionem faciamus*, &, *ut*
Ibid. iii. 14. *immaculati & inviolati ei inveniamur in pace*: de quibus nunc copioſius dicere parcimus, quòd
Lev. x. c. 18. ea, quantum ab alto conceſſum eſt, in Inſtructione noſtrâ de ſtatibus orationis, elucidare conati ſumus.

Ibid. & ch. 30. Quo etiam loco, veram purificandi animi ra-

tionem, eâ sententiâ nixam: omne donum perfectum desursùm est: pro nostrâ mediocritate, tractavimus, in eoque vel maxime versati sumus, ne mysticorum recentium, nostrique auctoris exemplo, puritatem illam ac perfectionem amoris, in orationem passivam sive quietis, aut in peculiarem statum conferremus, sed ut ad omnes vitæ & orationis christianæ status pertinere doceremus.

Jac. 1. 17.

Inst liv X. ch. 18

XI. Sanè animadvertimus, nunc eo conniti auctorem, ut doctrinam suam velut advectitiis interpretationibus atque explicationibus molliat & excuset. Huc redit ea perspicuitas, eaque ab omni æquivocatione libera, & ad scholasticum rigorem redacta præcisio, quam in ipsa præviâ commonitione promiserat. nempè plana omnia, & prona esse debuerant. Nunc autem hæret ubique; novaque comminiscitur, ac suspenso pede, veluti per anfractus, vix ullo loco firmum gressum figit. Quo etiam spectare videatur illa libri Gallici in Latinam linguam promissa, nec dum ut putamus, à tanto licet tempore, adornata versio: quæ rectè æstimantibus nihil aliud videtur esse, quàm spes emolliendæ veri genuinique sensus; ut liber ipse nativo ac suo habitu prodire vereatur.

De explicationibus, deque earum ratione generatim, ac de auctoris stylo.

Avert. p. 23. 26.

Nunc autem, cùm auctor explicationes subinde diversas nobis communicatas voluerit,

aliasque aliis involverit, nec planè sciamus cui stet, quam sequatur: de singulis loqui præpostetum ducimus. Sanè stylus anceps permultis in locis dat locum argutiis, potiusquàm sanis probisque interpretationibus. Ipse etiam queritur, suas excusationes, elucidationes, attemperationes negligi, quemquidem optaremus, planius ac certius gradientem, non tot excusationibus, quantas ipse sibi compatandas duxerit, indigete.

XII. Implicata & contradictoria. En exemplum rei ponimus. Proprietas, quam vocant, in mysticorum libris, res est intricatissima: quare ejus abdicatio item obscurissima, necesse est, ut fit: tot undique ingruunt, in probis quoque mysticis, earum vocum varii perplexique sensus. Rem ad planum noster deducere aggreditur: duplicem proprietatem agnoscit: alteram ex superbiâ, quæ planè peccatum sit: alteram sic definit: *Illa proprietas, quâ propriam excellentiam, etiam uti est nostra, diligimus, ad Dei quidem præcipuè gloriam, cui eam subordinatam volumus, sed interim meriti nostri, mercedisque causâ: innoxia est, ac nequidem veniale peccatum: imò nec vera imperfectio, nisi in perfectissimis animabus, &c.* Et tamen illam quoque innoxiam, ac divinæ gloriæ ut suo ultimo fini subordinatam, meriti, perfectionis, æternæ quoque mercedis cupiditatem à perfectis abjici oportere subdit. Grave illud: at non eo gradu sistitur: ecce enim illa

Art. XVI. p. 133. & seq.
p. 133. 134. 135.
p. 135.

proprietas *per eum rejicitur actum, quo Deo nos ab-* Art. 8. p. 72.
solutè ac nullâ reservatione permittimus, abdicato quo-
que proprii commodi studio: qui actus, nihil sit aliud,
quàm illa *sui abnegatio à Christo postulata.* Hîc Matth. xvi. 24.
ego primùm miror interpretationis insignem
inauditamque novitatem: ut scilicet, sub com-
modi utilitatisque nomine, etiam subordina-
tum divinæ gloriæ, quod sæpè dicendum est,
meriti, perfectionis ac mercedis æternæ studium abne-
gare jubeamur. Non id sancti docuere: non
id ipse Dominus subdens: *qui voluerit animam* Ibid. 25.
suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdide-
rit animam suam propter me, inveniet eam. Quæ
spes si abnegatur, jam prior tanti præcepti pars,
posteriorem abdicare cogat. Neque minus in-
solens est, quod illud *innoxium*, imò nec per
sese *imperfectum*, tanto Christi præcepto repu-
gnare dicitur. An non enim Christus perspi- Ibid.
cuè satis præscripsit abnegationem illam, tam-
quam conditionem necessariam omnibus, qui
ipsum sequi velint? An verò innocuum esse
possit illud, quod sub tam gravi interminatio-
ne sit vetitum? Secum ergo pugnat auctor:
planè, perspicuè, tergiversatione nullâ. Sibi ta- p. 72.
men præparavit excusationem quamdam, dum
ambiguo vocabulo usus, abnegationem à Chri-
sto *postulari*, non autem præcipi asserit: tam-
quam Christi postulatum, tam justis circum-
cinctum minis, sit aliud quàm præceptum.

In Epist. ad Innoc. XII. art. 1.

p. 166. &c. p. 202. &c.

Sanè in Epistolâ ad Innocentium XII. eo se effert auctor, *quod actum permanentem, & numquam iterandum, ut inertiæ & socordiæ lethale venenum, confutarit:* rectè; si non ejus loco reposuit uniforme illud, quod jam in memoriam revocare nos oportet. Verba proferantur: *ipsa contemplatio*, inquit, *actibus constat tam simplicibus, tam directis, tam placidis, tam uniformibus, tam lenis, & sensibus occulta, fidei, caritatisque contextu, ut nihil insigne sit atque conspicuum, quo ab animâ secernantur: neque quidquam aliud quàm unus idemque actus, imò verò non actus, sed mera unionis quies esse videtur. Quo fit, ut alii, ut sanctus Franciscus Assisinas, nullum actum; alii, ut Gregorius Lopezius, unum & continuatum actum, toto vitæ decursu, edi à se fateantur.* En quàm lenibus verbis, illa quam auctor à se jactat explosam, influit continuitas: & tamen nondum satis mitigata prodit. Quid enim, quæso, illi continuitati similius, quàm hæc unionis quies; hic Gregorio Lopezio summo contemplatori, *toto vitæ decursu, unus idemque continuatus actus?* quare audiamus, quàm hoc quoque molliat. Scribit enim sic ad Romanum Pontificem: *nullam aliam quietem, cum* IN ORATIONE, *tum* IN CÆTERIS VITÆ INTERIORIS EXERCITIIS *admisi, præter hanc Spiritûs sancti pacem, quâ animæ puriores actus internos ita uniformes* ALIQUANDO *eliciunt, ut hi actus jam non actus distincti, sed mera quies & permanens*

Epist. ad Innoc. XII. art. 5.

manens cum Deo unitas INDOCTIS *videatur.* En quanto discrimine, blandis interſertis voculis, res eadem pingitur. Et in libro quidem universim, perfectis animabus, indiſtinctus, ac toto vitæ decurſu continuatus actus agnoſcitur: in epiſtolâ verò *aliquando* tantùm; nec niſi *indoctis*: quos inter indoctos memoratur Gregorius Lopezius, inter excelſiſſimos vitæ aſceticæ ſectatores ab auctore laudatus. Sic variat. Sed mittamus verborum offucias, quid res ipſa poſtulet, cogitemus. Sanè admittit actus *tam nullo conatu, &c,* ut vocat, *ſuccuſſu, ut nihil ſit inſigne atque conſpicuum, quo ab animâ ſecernantur*: quodquidem quid eſt aliud, quàm continuitatem illam, quâ novorum myſticorum ſecta ut oſtendimus nititur, refutare verbis, ſummâ ipſâ retinere, ſpecioſis tantum vocabulis incruſtatam? Quâ in re id peccat imprimis, quòd contemplationem, imò etiam actionem inducit, nullo virtutum officio interſtinctam; quæ ſi ſucceſſione actuum objectorumque conſtaret, eam quam Caſſianus memorat volutationem ſui mens ipſa perſentiſceret, & interdum cum Davide diceret: *Quare triſtis es anima mea?* interdum cum eodem: *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: exorientibus per vices cœleſtis gaudii, piæque triſtitiæ, ſpeique, ac deſiderii motibus, ipſis etiam animi ſeipſum cohortantis niſibus haud fruſtrà iteratis atque perceptis. p. 166. 202. 203. 257.

Multa ejusmodi commemorare possem, quibus effugia, latebras, interdum & insidias parasse videatur. Nec profectò mirum, quod sibi contradicat, præsertim de motivis diligendi Dei disserens: vana, subtilia, affectata, non hærent pectori, animo elabuntur; eorum sectatores, non tam suo ingenio, quàm causæ conditione, improvidi, immemores, in diversa & contraria rapiuntur; satis superque se tutos arbitrati, si per excusationum explicationumque ludibria, pessimos libros, incolumes tamen integrosque præstent.

p. 44. 52. 54. &c.

XIII. Cur interpretationes auctoris admitti non possint.

Omninò explicationes eas quas vidimus, admitti oportere, haud aliâ magis ratione negaverim, quàm quod nec ipsæ innocuæ sint & erroris immunes, nec libri contextui ullomodo accommodari possint.

Neque enim si explicationis nomine alius liber ab hoc diversus cuditur, ideo hic purus est atque integer: ac si plana & aperta in contrarium sensum detorquentur; si album pro nigro, pro quadrato rotundum reponitur; non hæc explicatio, sed ludificatio est: neque ejus rei ullum exemplum legimus, à Sede Apostolicâ, à Conciliis, ab Episcopis, ab ullo conventu ecclesiastico comprobatum: pessimique est moris, præsertim in exiguo libello, ac vulgi manibus trito, explicandi specie, asserere librum apertis scatentem erroribus.

Hoc enim nihil est aliud, quàm confirmare falsa, ac publicæ fidei illudere: id denique perficere, ut theologica nihil certi habeant, liceatque cuivis quodvis impunè jactare: quo proindè constet, confici omnia argutiis ac distinctiunculis, nihilque non audendum, quando rebus pessimis, pro damnatione certâ, excusatio quæritur. Neque verò his artibus, aut theologiæ, ac fidei, aut christianæ plebi, aut auctoribus ipsis consulitur: non theologiæ ac fidei; quæ in omnem partem versatilis flexibilisque, & coluthum, ut aiunt, instar esse videatur; non plebi, quæ inter librum explicationemque fluctuet, sumatque toxica, relinquat antidota; non denique auctoribus, qui parum sincerè, imò verò superbè agere videantur, suspectosque se magis quàm excusatos præbeant.

Quidquod liber ipse, ab ipsis initiis, ab ipsâ commonitione prævia, dictionarii instar haberi se voluit, quo omne ambiguum tolleretur? qui si nunc ubique suppletur intextis additionibus, aut si in alienissimos obscurissimosque sensus trahitur, jam illa ad scholasticum rigorem exacta tractatio nihil aliud erit, quàm imperitis laqueus, ludibrium doctis, omnibus scandalum. Quidquod ipse libri spiritus dum singulares affectat vias, & à recto tritoque tramite pietatem ad vana, arguta, aliena deducit, procul à christianâ ac patriâ simplicitate aber- *Avert. p. 23. 26.*

Ibid. 15. 15. ret? Quidquod ipse auctor in eâdem præfatione, clarâ voce testatur, si quid erratum sit, & ultrò confitendum, & palam ejurandum esse? ut nunc per interpretationes librum intactum & immunem à reprehensione præstare, nihil sit aliud quàm omnia ibi sana & integra, frustraque auctorem sollicitatum esse, profiteri.

Valeat ergo justa sententia: ut qui tradunt erronea, nec tamen se ipsi sponte condemnant, ecclesiastico judicio condemnentur, fideique & modestiæ, ac publicæ securitati consulatur. Non enim aliquid possumus adversus veritatem, sed pro veritate, cui servire omnia, omnia posthaberi, ipsa jubet veritas.

Summa dictorum est: in hoc libello, plerumque, quæ plana sunt, falsa sunt, noxia sunt: ipso fine prava sunt: quæ obscura & perplexa sunt, suspecta sunt, & in errorem inducunt.

HÆc ego Episcoporum infimus, nostræ declarationi confirmandæ, pro testimonio dixi. Auctorem rogo supplex, ut hæc qualiacumque æqui bonique consulat: ipsi verò impensè gratulor, quod se librumque suum in Sedis Apostolicæ potestate positum voluerit: denique spero futurum, ut Innocentius XII. tot rebus magno & paterno animo gestis, ad tanti Pontificatus gloriam sempiternam, dissecet nodos, evanescentem sapientiam cohibeat, fractumque

jam antecessorum auctoritate Quietismum, ad victoriæ cumulum, ab affusis coloribus pigmentisque nudet.

Hæc voveo addictissimus ac devotissimus. In Castello nostro Germiniaco, 20. Aug. an. 1697.

Signatum, † J. BENIGNUS Ep. Meldensis.

EMINENTISSIMO D.D. CARDINALI SPADÆ

JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS Episcopus Meldensis: *salutem & obsequium.*

CUM ab Illustrissimo Archiepiscopo Cameracensi in testimonium appellati, nostram de ejus libro sententiam necessariò promsimus, & in manus Illustrissimi atque Excellentissimi Nuncii Apostolici depositam, ad pedes S. D. N. Papæ apponi supplicavimus, uti à nobis septimâ hujus mensis factum est, simul inter nos convenit, ut ad nostra reversi, si quid in confirmationem nostræ declarationis cederet, singuli mitteremus Romam: non ut Ecclesiam Romanam magistram doceremus; absit: sed ut intellectâ ratione, quâ hic res tractarentur, S. S. in tantâ re, ubi de summâ fidei agitur, pro suâ sapientiâ id opportunius faceret, quod in Domino viderit expedire. Hinc igitur est, EMINENTISSIME CARDINALIS, quod ego, occultâ providentiâ jam inde ab initio huic negotio applicitus, hæc quoque Apostolicis obtutibus offerenda, EMINENTIÆ TUÆ tradenda curaverim: dederimque negotium Abbati Bossueto, ut quæ in eam rem conducerent, ad tuam deferret audientiam: id unum pro-

fessus, me TUÆ EMINENTIÆ miris incensum laudibus ac virtutibus, ejusque benevolentiâ toties provocatum, hanc affectare viam ad Beatissimos pedes, tantoque Pontifici summam meam devotionem, obedientiam, & fidem attestari: simul EMINENTIÆ TUÆ magis magisque confirmare obsequium meum ac reverentiam singularem. Datum in Castello nostro Germuniaco, 10. Aug. anno 1697.

Extrait du Privilege du Roy.

PAR Lettres Patentes du Roy données à Versailles le 25. Septembre 1697. signées BOUCHER, & scellées du grand Sceau de cire jaune, il est permis à Messire Jacques Benigne Bossuet Evêque de Meaux, de faire imprimer *Divers Ecrits ou Memoires Latins ou François sur le Livre intitulé, Explication des Maximes des Saints*. & ce pendant le temps & espace de huit années consecutives, à compter du jour que ledit Livre aura esté achevé d'imprimer pour la premiere fois : Avec defenses, &c.

Et Mondit Seigneur a cedé le Privilege cy-dessus à Jean Anisson Directeur de l'Imprimerie Royale.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 12. Octobre 1697.
Signé, P. AUBOUIN, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 15. Octobre 1697.

